

www.e-rara.ch

Disputatio theologica, de SS. incarnationis Christi mysterio

Steborius, Christophorus

Dilingae, 1639

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: R Ri 204,3

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-33033>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DISPUTATIO THEOLOGICA,

De

SS. INCARNATIONIS
CHRISTI MYSTERIO.

Quam

PRÆSIDE ET PROMOTORE

CHRISTOPHORO
STEBORIO, SOCIET^{is} JESU,
SS. THEOLOGIAE DOCTORE, CAN-
CELLARIO ET PROFESSORE
ORDINARIO.

In

CATHOLICA ACADEMIA DILINGANA,
CONSCRIPSIT AC PUBLICE PROPOSUIT
MICHAEL VVIDENMAN,
LAUTERBACENSIS SUEVUS, ARTIUM LIBE-
RALIUM AC PHILOSOPHIAE MAGISTER, EIUSDEM
Theologiae, & Iuris Canonici Studiosus, & Sanctissimi D. N. VR-
BANI VIII. Alumnus.

Pro

*Consequendis Gradibus Baccalaureatus Bibli-
ci ac Format.*

ANNO DOMINI M. DC. XXIX.
DIE FEBRUARII.

DILINGÆ.

Operâ CASPARI SVTORIS, prælo Academiae.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

S. R. I.

PRINCIPIS

AC

DOMINO, DOMINO

HENRICO

EPISCOPO AUGUSTANO

CONGREGATIONIS

BEATÆ MARÆ VIRGINIS

ANNUNTIATÆ

IN

ACADEMIA SUA PRÆFECTO,

CÆTERISQUE

ADMODUM REVERENDIS,

PRÆNOBILIBVS, MAGNIFICIS,

REVERENDIS, NOBILIBVS, CLARISSIMIS,

DOCTISSIMIS, ORNATISSIMIS

DOMINIS SODALIBVS.



Sed ad exemplum eorum, qui imperant, illi qui patent vitam, moreſq; componunt Illuſtriſſime ac Reuerendiſſime Princeps, Domine Clementiſſime, non poſſumus nos Academia huius Congregationis Sodales, ad pietatem virtutemq; omnem non eſſe compoſui. Huc enim Celſitudo Veſtra nos ducit, tantiſq; paſſibus antecedit, vt venerari impreſſa ubiq; virtutis veſtigia poſſimus, non aſſequi, nec implere. Sed quemadmodum Heroibus pumilicorum quoque conatus in ſui imitatione ſpectare incundum eſt, ita Celſitudini Veſtræ ſtudio noſtrum in æmulandis Sodale dignis virtutibus probare meritò debemus, ſi illud præſtare animus eſt, quod Patrona noſtra expectat, quæ ite, atò Celſitudinem Veſtram in Præfectum nobis conceſſiſſe videtur, ne quid excuſationis obtendamus. quo minus in ſe colenda Principis noſtri Illuſtriſſima exempla imitemur. Inter hæc ſi præcipuo loco animi demiſſionem numerauero, ex tam ſolido fundamento pulcherrimi ædificij molem, quæ Celſitudinis Veſtræ virtus uſque ad cælum ſe attollit, æſtimare licebit. Mirantur omnes in Henrico Epicoſpo Auguſtano, animum longè intra tanti Principis ac Præfulis dignitatem demiſſum, quod tamen ita nihil venerationi demit, vt plurimum addat, animoſq; omnium in maiorem amorem atque æſtimationem rapiat. Hæc Celſitudinis Veſtræ virtute fretus, pagellas hæc meas Redemptoris noſtri myſteria complexas, Illuſtriſſimo nomini inſcribere auſus ſum, multis nominibus Celſitudini Veſtræ, à quâ SS. Ordines accepi, obſtrictus, quibus nouum nuper ex Congregationis Academicæ Præfecturâ acceſſit. Multis iam annis inter Parthenios Sodales nomen meum, profiteor, & vtinam plures annis virtutes numerarem! tum enim uerò & hoc Præfecto, & his Sodalibus dignus Sodalis forem. Sed condonabit Illuſtriſſima Celſitudo Veſtra, quod deeſt virtutibus ac meritis, & ſpatium amplius concedet voluntati ad ea aſpiranti, quæ ſibi deeſſe ſuſpirat. Vos verò Domini Sodales, quorum nomen his quoque Theſibus meis præſcripſi, vt hoc grata beneuolæq; mentis monimentum boni æquiſq; conſulatis, & me exemplis precibusque veſtris poſthac quoque ſinatis perfrui, oro quaſoq; Dilingæ. Feſto Purificationis Beate Mariæ, Anno M. D. C. XXXIX.

*Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſima Cel-
ſitudinis Veſtra.*

Et

*Inclytæ Congregationis Acad-
micæ Annuntiata.*

Seruus humillimus, & Soda-
lium infimus

A 2

M. Michaël VVidenmann.

DISPUTATIONIS DE INCARNATIONE CHRISTI PARTITIO.



¶ Angelicus Doctor Sanctus Thomas Aquinas subtiliter ac solidè de amabiliſſimo Incarnationis mysterio per viginti ſex quaſtiones pertractat, ea paucis ac breuibus hiſce theſibus proponuntur; quarū erunt tres partes: Prima aſſeret, quæ ipſe uſq; ad ſeptimam quaſtionem docuit de iſ, quæ Incarnationem ſecundū ſe ſpectatam concernunt: Altera quæ uſq; ad quaſtionem ſeptimam decimam de Coaſſumptis à Filio DEI in humanā naturā perfectionibus atq; defectibus: Tertia deniq; quæ uſq; ad quaſtionem ſeptimam vigelimam de iſ, quæ eid. in Incarnato conueniunt.

P A R S P R I M A.

DE IIS QUÆ ATTINENT INCARNATIONEM CHRISTI SECUNDVM SE SPECTATAM.

T H E S I S I.

Quemadmodum Lectio, Scriptio, & id genus verbalia duos habent ſignificatus: nām præter legendi, ſcribendi actionem, ſignificant etiam id quod legitur, ſcribitur &c. ſic etiam Incarnatio, quam Græci *ὀξένωσις* nomināt, primū ſignificat diuiniffimam illam actionem, qua DEVS naturam humanam perſonæ verbi vniuit, ac veluti carne induit; deinde eius terminum, qui eſt Chriſtus Dominus, perſona ſcilicet illa in naturā Diuinā ſimul & humanā ſubſiſtens.

II. Apoſtolus Paulus ſacratiffimum hoc myſterium etiam Inueſtigabiles Chriſti diuinitas *a.* & Sacramentum à ſæculis abſconditum *b.* appellat, eò quòd ab intellectu naturali, quantumuis perſpicaciffimo, imò Angelico, neque demonſtrari vllomodo, neque etiam intelligi, niſi ſupernaturali lumine fidei adiuto, poſſit; hoc autem illuſtratus non ſolū poteſt rationes contrarias negatiuè quaſi refellere, illudque impoſſibile non eſſe oſtendere, ſed ſimilitudinibus, rationibus & exemplis probabile etiam reddere.

a. Eph. c. 3. v. 8. b. v. 9.

III. Perſidi Iudæi qui propter obtuſos ſuos ſenſus & velamen *a.* poſitum ſuper corda ſua tantam Euangelij lucem non modò non aſpiciunt, verū etiam negant, tum ex alijs veteris Teſtamenti ſcripturis manifeſte perſidiæ conuincuntur, tum expreſſim ex Geneſi *b.* vbi Iacob Patriarcha, non prius de tribu Iudæ ſceptrum auferendum eſſe prædixit, quàm veniſſet ille, qui mittendus ſit, expectatio Gentium &c. tum ex Daniele *c.* vbi Angelus Danieli ſeptuaginta tantū hebdomades (annorum puta, quo modo etiam in libro Leuitici *d.* reputantur) à tempore populi poſtliminio è captiuitate Babylonica reducti, aduentum Chriſti ſeu vnctionem ſancti ſanctorum abeſſe indicauit; tum ex Aggei prophetiā, *e.* per quem DEVS modicum vnicum ſuper eſſe aſſenerat, & mox venturum Deſideratum cunctis gentibus, eius autem Modici aduenturi indicium hoc ſubdit; quod templi nouiſſimi gloria maior ſit futura, quàm fuerit illius, quod Salomon extruxiſſet; quod certe haud aliter illi, quàm per crebram Chriſti Saluatoris noſtri in eodem comorationem contigit.

a. 2. Cor.

a. *1. Cor. 3. v. 14. b. Gen. c. 49. v. 10. c. Dan. c. 9. d. v. 24. d. Leuit. c. 25. v. 8. e. Agg. c. 7. d. v. 7. f. v. 8. ibid.*

IV. Denique ex compluribus alijs locis, in quibus notæ & proprietates Messie defignantur, cuiusmodi sunt: Conceptio ex Virgine *a.* Locus Natiuitatis, nominatim vrbe-
culæ Bethlehem *b.* Præcursor S. Ioannis Baptista *c.* Prædicatio & Miracula *d.* Ingressus
super asinam in Ierusalem *e.* Passio & Mors *f.* Resurrectio *g.* Ascensio in cælos *h.* Missio
S. spiritus *i.* Conuersio Gentium *k.* Abrogatio Legis Moisaica & nouæ institutio *l.* &c.
quæ omnia in nostro IESU Nazareno sole meridiano clarius perspecta sunt. Quibus om-
nibus maximum pondus & confirmationem addit mille sexcentorum à Christi nece an-
norum elapsorum pænâ desolationis Iudæorum, quæ cum maior sit, quam vllæ vnquam
aliæ, olim ob grauissima, etiam idololatriæ, scelera eisdem inflictæ, certè grauioris eos
culpæ ipsâ idololatriâ, aut quibusuis alijs flagitijs arguit; quæ tamen alia nulla cogitari
potest, quam reiectio & occisio veri Messie. Quem non purum hominem, sed simul ho-
minem, simulque DEVM esse Iudæis palam fieri deberet, vel ex solis Psalmis Da-
uidicis *m.* in Synagogis eorum iugiter decantatis, nec non ex alijs *n.* Prophetarum scri-
ptis.

a. *Isa. c. 7. v. 14. b. Mich. c. 5. v. 2. c. Isa. c. 40. v. 2. Malach. c. 3. v. 1. d. Isa. c. 35. v. 5. e. c. 61. v. 1. e. Zach. c. 9. v. 9. f. Psal. 21. fere totum, item Isa. c. 53. fere totum. Dan. s. 9. d. v. 26. Sa-
pient. c. 2. d. v. 12. g. Psal. 15. v. 10. h. Psal. 23. d. v. 7. i. Psal. 67. v. 19. k. 34. i. Ioel. c. 2. v. 28.
l. 49. k. Isa. c. 49. d. v. 6. Osee, c. 1. v. 9. e. c. 2. v. 24. Psal. 21. v. 28. e. 29. l. Ierem. c. 31. d. v. 31.
Ezech. c. 16. d. v. 60. Dan. c. 9. v. 27. Malach. c. 1. v. 10. m. Psalmus 2. 44. 71. 109. fere totis. n.
Isa. c. 9. v. 6. e. c. 35. v. 4. Ierem. 23. v. 5. e. 6. Mich. c. 5. v. 36.*

V. Etsi Diuinæ sapientiæ multi alij modi, tam suæ gloriæ, quam humani generis la-
plui consulendi non deerant; hic tamen Incarnationis modus, siue gloriæ DEI, siue ho-
minum & vtilitatem hominum spectes, secundum omnes circumstantias maxime congruus;
quo ad substantiam verò ita conueniens fuit, vt nec per absolutam DEI potentiam mo-
lior & conuenientior esse, vel excogitari possit. Nec tamen is vel absolute, vel aliâ vllâ
ex hypothesi necessarius fuit, quam diuini decreti liberrimi, quo talis modus, qualis su-
premi principem ac iudicem maxime decet, nempe condignam satisfactionem pro
peccato exigere, præfinitus est.

S. Thom. in 3. p. q. 1. art. 1. & 2.

VI. Homo purus, quamuis maximâ gratiâ præditus, ne pro vnico quidem siue pro-
prio, siue alieno peccato mortali condignè ad æqualitatem satisfacere potest, etiam si ac-
tum in suo genere infinitum eliceret, propter iniuriam peccati DEO, cœu personæ sim-
pliciter & vndequaque infinitæ illatam longè præponderantem *a.* Non negauerimus ta-
men aliquam imperfectam satisfactionem, etiam de condigno aliquo modo & secundum
iustitiam præstari posse, si forte quis à DEO summâ gratiâ præditus in caput Mysticum
humani generis ab eodem constitueretur, intercedente vtrinque pacto, ex parte hominis
quidem omnes actiones meritorias in salutem hominum tanquam membrorum suorum
impedendi; ex parte DEI verò illas tanquam ab alijs factas acceptandi. Siquidem
haud multò ab similibus quædam imperfecta satisfactio fit pro peccato mortali proprio à
peccatore per contritionem perfectam ad DEVM reuerso. Secus est de veniali peccato,
pro quo per contritionem plenè & ad æqualitatem satisficit ab homine in gratiâ cōstituto.

a. S. Thom. cit. q. 1. art. 2.

VII. Solus ergo Christus *verus deus* siue Homo DEVS, condignam pro peccatis totius
huius Mundi satisfactionem persoluit, quin etiam aliorum, licet infiniti forent Mundo-

nam; utpote valorem habentem moraliter infinitum, eumque non extrinsecum solum, sed DEI liberali acceptatione, sed proprium atque intrinsecum, tam ratione ipsius Christi, eum rei oblata, quam ratione actionum eiusdem, ab hypostasi infinitam dignitatem trahentium. Eandem ob causam, licet singulæ, etiam minimæ, quo ad physicam entitatem, ad eluenda omnia, etiam possibilia, peccata, sufficientissimæ fuerint; inanita superabundantes, ut non modò nullum præmium creatum eisdem æquale detur, verum etiam nullum dari possit; nihilominus tamen voluit Saluator noster ad insatiabilem suum erga nos amorem ostendendum, & vicissim nostrum erga sese accendendum omnes suas actiones collectim per modum vnius integralis lytri DEO patri offerendo nostræ redemptionis pretium, non nisi post turpissimam apud mortales acerbissimamque mortem; consummari.

VIII. Hinc manifestè deducitur inter Christum, quæ hominem & DEVM, adeoque & se ipsum quæ talem, rigorosam, longèque omnium perfectissimam & propriè dictam iustitiam Commutativam interuenisse; licet in accidentalibus quibusdam conditionibus ab Aristotelicâ & Politicâ iustitiâ deficiat.

IX. Quæ tamen Christi satisfactio non sortitur effectum, nisi per certa quædam media in verbo DEI præscripta, atque intra solam Ecclesiam Catholicam vtilia & vtitata applicetur, ut Concilium Tridentinum *a.* contra Nouatores *b.* nihil admodum requirentes præter inanem suam fidem specialem, ante Lutherum in orbe terrarum inauditam, ideoque planè Chimericam fiduciâ, qua singuli credere iubentur: *sibi esse infallibiliter peccata remissa, se iustos coram DEO esse, saluos fore, adeoque ab æterno prædestinatos fuisse per & propter sibi imputatam Christi satisfactionem, meritum, iustitiam & obedientiam;* non minus sapienter quàm sanctè decreuit. Huiusmodi autem media sunt Sacramenta *e.* Fides *d.* vera Catholica. Pœnitentia *e.* Fuga peccatorum *f.* Observatio mandatorum DEI *g.* Studium honorum operum *h.* &c. hinc S. Paulus non veritus est ad suos Colossenses, scribere: *se adimplere ea quæ defunt passionum Christi.*

a. *seps. 6. ferè totâ, præsertim serò capitibus 3. 7. 8. 9. II. &c. item canonibus 9. 10. 12. 13. 14. 15. 16. 19. 29. &c. b.* *Augustana Confessio & eius Apologia art. 4. 5. 6. & 20. Catechismus Heidelbergensis q. 1. 11. 60. & alijs; Calvinus, Beza in commentarijs epistola ad Romanos, & alibi in omnibus suis scriptis. c.* *Ioan. c. 3. v. 3. & c. 6. v. 54. d.* *Marc. vi. v. 16. Ioan. c. 1. v. 12. c. Luc. c. 24. v. 47. 2. Corinth. c. 5. v. 20. & c. 7. v. 1. f.* *Gal. c. 5. v. 21. g.* *Heb. c. 5. v. 9. h.* *Matth. c. 25. v. 28. 34. 1. Coloss. c. 1. v. 24.*

X. Ex Sacris litteris *a.* Concilij, Patribus ac communi Ecclesiæ sensu colligere licet, DEVM, si homo non peccasset, non habiturum fuisse efficacem voluntatem mittendi filium in mundum, ideoque Christum Dominum propter nostram salutem peccato amissam pro nobis incarnatum esse. Finis tamen omnino principalis ultimus & impulsus Incarnationis non est reparatio hominis, adeoque nostræ salutis, sed DEI gloria, propter quam vniuersa operatur Dominus *b.* Homo etenim peccato suo, quantum in se erat, atrocissimâ DEVM iniuriâ affecit, venit proinde Christus, ut sublatum DEO honorem restitueret: quod faciendo restituit hominem in pristinum statum redimendo eum à Diaboli, ac peccati tam originalis *c.* quàm etiam actualium omnium *d.* seruitute.

a. *apud S. Thomam 3. p. q. 1. art. 3. & plerisque eius commentatores citari. b.* *Præterea c. 16. v. 4. Ioan. c. 7. v. 18. c.* *Ioan. c. 1. v. 29. d.* *1. Corinth. 15. v. 3. & 1. Ioan. 2. v. 2.*

XI. DEVS quidem omnia vno simplici actu ab æterno præordinauit *a.* quæ in tempore faciendæ erant, idè actus tamen quatenus diuersa atque inter se ordinata respicit obiecta à ratione nostrâ in diuersos, alterumque altero priorem & posteriorem, discriminatur hæc

ordi-

ordine; primo Deus optimus Maximus constituit creare angelos & homines ad supernaturalem beatitudinem per obedientiam, adeoque bona eorum merita, assequendam: secundo praeiudicavit Angelorum Apostatarum hominumque lapsum: tertio neglectis angelis pro sua infinita erga homines benignitate & misericordia efficaci voluntate statuit filium redimendis mittere suo tempore in mundum assumptam naturam eorum in hypostaticam unionem; eique tantum gratiam conferre, ut per merita passionis, crucis & mortis omnibus hominibus sufficientem gratiam, & denique gloriam conferat: quarto quosdam destinate numero ex omnibus gratis elegit, quos etiam efficaciter ad gloriam per congrua media, pro eorundem ac temporum varietate varia, gratis ex mera sua benignitate & misericordia in mente sua praedestinavit: ceteris autem ex simili bonitate sufficientissimam suppedicare decrevit gratiam, quam si velint saluari queant. Quam etiam ob rem verè ac serio vult omnes homines salvos fieri.

2. *S. Thom. 3. p. 9. 2. 4. 3. & 4. b. 1. Timoth. 2. 6. 6.*

XII. Humanitas per se immediate soli hypostasi verbi, suae, ut Concilia loquuntur, quod soli Filio proprium est, non autem in eo quod commune est toti sanctissimae Trinitati, est unita. Vnde temerarie loquuntur, qui Divinitatem in aliquo absoluto Existentiā videlicet, vel Subsistentiā communi omnibus tribus personis (quam aliqui praeter tres personales relatiuas, non adeo improbabiler admittunt) per se & immediate ad humanitatem terminatam esse asseuerant. Sed tamen, quia Subsistentia verbi diuinam naturam essentialiter includit, cum eademque identificatur, ut etiam reliquae duae sacratissimae personae, idcirco Humanitati tam Divinitas, quam duae Patris & sancti Spiritus personae, realiter & substantialiter vniuntur.

XIII. Natura autem, quam de facto Verbum assumpsit, fuit humana, eaque vera, perfecta, unica, indiuidua & singularis, ex Adae stirpe, & quidem regali Davidis (secundum lineam Salomonis in regno succedentis, non Nathani vel aliorum eius filiorum) prosapia descendens, adeoque non ex nihilo, sed ex virgineo Beatissimae Mariae sanguine, sine vlla eiusdem illicatae virginitatis violatione (utpote Spiritu sancto seminis virilis concursu supplente, producta. Haec porro absque propria Subsistentiā, ut primum in rerum naturam exitit, mox diuinam personalitati iuncta est, quoad omnes suas partes, non tantum animam informatas, sed etiam alias ad naturalem perfectionem hominis spectantes. Id quod de sanguine nemo sine errore & temeritate negare potest, de reliquis verò humoribus, phlegmate scilicet, atrā & flavā bile, Rore item & Cambio, Vnguibus, Crinibus, Dentibus, Spiritibus vitalibus &c. similis ratio suadet, Secus autem de partibus excrementitijs ad vitam humanam usum, vel decorem non spectantibus; item de accidentibus, quae tantum mediante humanitate eiusque partibus, quibus inhaerent, assumpta fuere. *S. Thom. 3. p. 9. 4. & 5.*

XIV. Licet ordo temporis in assumptione, vel totius, vel partium, nullus sit admitendus: naturae tamen ordine, quem Intentionis vocant, humanitas prius, quam anima fuit assumpta; quoad executionem verò ordine inuerso. Hinc colligimus primum Unionem hypostaticam totalem ex tribus partialibus vnā scilicet animam, alterā corpus, tertiā denique partes naturali, inter se inuicem vniōne affectas vniuentibus, conflatam fuisse: Deinde Beatissimam Virginem *θεοτόκον*, Dei genitricem & Dei matrem suae Dei ipsam ex fide verā dicendam esse; nimirum, quia partes diuinā hypostasi iam subsistentes in vnum corpus naturale suo materno concursu coniunxit: denique corpus & animam Christi, quae in triduo mortis à se inuicem fuerunt separata, Verbo vnita man-
fuisse.

S. Thom. 3. p. 9. 6. & 7. 31. 32. 33. & 50.

XV. De facto ita, vt modò posuimus res contigit; de possibili loquendo omnestres personæ tam secundum relatiuas subsistentias, quàm absolutam (non tamen quoad naturam aut alias perfectiones) per se & immediate vniri possent vnica naturæ, seu totali, seu partiali; nec humanæ duntaxat, sed cuius alij, quin spectando rei naturam & Dei omnipotentiam, etiam inanimatæ imò fortassis etiam accidenti ab inhesionis subiecto separato. E contrariò quoque vnica persona plures naturas, imò infinitas, si ea darentur, terminare posset, quamuis antea propriâ subsistentiâ terminatas, dummodò tamen illæ naturæ prius corrumperentur. *s. Thom. in 3. p. q. 3.*

XVI. Causa efficiens principalis sola Sanctissima Trinitas & fuit, & esse potuit; instrumentalis quidem aliqua creatura esse potuisset, de nullâ tamen id constat, saltem quo ad primam & adæquatam vnionem; quamuis, quo ad inadæquatam partium exalimento corpori continuo accedentium Christo vnionem, & partium per triduum mortis separatarum reuentionem, eiusdem Beatissimæ animæ, concursus instrumentalis non videatur denegandus. Dispositiones etiam nullæ præcesserunt siue in Verbo, siue in Humanitate, siue in ipsâmet Vnione; aliquas tamen præmitti, si Deo lubuisset, non absonum fuisset. *s. Thom. q. 32. art. 1. & 4.*

XVII. Actio illa Incarnatiua est substantialis, atque tam Naturalium, quàm Supernaturalium omnium longè præstantissima; vtpote cuius etiam termini tam adæquatus vt Qui, quàm formalis vt Quo, substantiales, omnium præstantissimi sunt. Adæquatus namq; est ipse Christus, compositum per se substantiale & propriè dictum ex naturâ humanâ & hypostasi diuinâ, quæ licet non habeant rationem partium propriè dictarum, at tamen ob diuersitatem suam realem rationem habent numeri, quem ad compositionem sufficere disertè ait S. Thomas. Formalis terminus vt Quo est quidam modus substantialis in humanitate Christi productus, & vnio hypostatica dictus, quo mediante natura humana Verbo, summo, qui dari potest, modo communicatur; Neutra tamen natura per actionem istam producta est. Eiusdem porro terminus formalis ad Quem diuerso respectu, vel Verbum, vel Humanitas, (quamuis hæc communius & magis propriè) debet dici. Terminus totalis à Quo est negatio compositi ex personâ diuinâ & naturâ humanâ; formalis à Quo negatio humanitatis in Verbo, vel alio respectu negatio coniunctionis Verbi ad ipsam humanitatem. *s. Thom. 3. p. q. 2.*

XVIII. Meritoria causa huius beneficii inestimabilis de cōdigno nulla creatura quantumuis sancta, imò nec ipse Christus fuit, aut esse potuit. Patres præfati de congruo quidem ipsam Incarnationem, tam quo ad substantiam, quàm quo ad circumstantias aliquas, nempe accelerationis & ex se progenitorum, meruerunt; nequaquam tamen eiusdem prædestinationem, vel quo ad substantiam, vel quo ad circumstantias; quamuis quo ad circumstantias posito alio rerum statu non repugnasset. Beatissima Virgo nullo quidem modo electionem ac prædestinationem sui ad Maternitatem, eiusdem tamen Maternitatis dignitatem de congruo meruit; quin etiam ex gratiâ sibi datâ condignè eum gradum sanctitatis merita esset, quò congruè fieret Mater DEI. *s. Thom. quæst. 2. art. 11.*

PARS SECVNDA. DE COASSVMPTIS à FILIO DEI IN HVMANA NATVRA PERFECTIONIBVS ATQVE DE-

FECTIONIBVS.

XIX. Christi Domini anima habuit Gratiâ habitualement eiusdem speciei cum nostra & Angelorum; in hoc tamen ab illis distinctam, quòd ad sanctificandum illum, vel eius

eius opera dignificanda necessaria non esset, cum hoc ex vi conceptionis necessario & essentialiter eidem obtigerit, per Hypostasim quidem, quasi per formam, per Vnionem esset tanquam conditionem sine qua non. Ea proinde licet moraliter aliquo modo infinita dici potuerit, absolutè tamen & entitatiuè finita fuit, tantæ etiam intensiōis, vñ non modò secundum se nunquam auctior fuerit facta, verum etiam secundum diuinæ Sapientie legem (non tamen secundum absolutam DEI potentiam) intensior esse nequebat. *S. Thom. 3. p. q. 7. a. 1. 9. 10. 11. & 12.*

XX. Gratia huic accesserunt omnes virtutes per se infusæ, æqualis proportionis, tum Theologicæ, tum Morales, exceptâ Fide, non verò Liberalitate, Spe ac Pœnitentiâ, saltem quoad habitum & aliquos secundarios actus. Item septem Dona Spiritus sancti, & Virtutes Morales ex suo genere acquisitæ, sed illi per accidens vñ cum supernaturalibus infusæ. Denique Gratia à S. Paulo Corinthiis enumeratæ, quas Gratis datas vocamus, omnes, & quidem in summâ perfectione ac permanentèr instar habitus, eidem etiam competeabant: Gratiâ verò actuali Excitante, vtpote Visione Beatificâ eius munus supplente, non opus habuit, sicut Gratiâ Adiuuante. *S. Thom. cit. q. 7. a. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8.*

XXI. Per gratiam geminam, tum Increatam hypostasis, tum creatam Habitualement, Christus Caput totius Ecclesiæ constituitur, omnium scilicet hominum, tam quo ad corpus quàm animam, & angelorum; & quidem probabiliter non tantum fidelium, sed etiâ infidelium, solis damnatis exclusis. Respectu aliarum creaturarû rectius Princeps ac Dominus dicitur quàm Caput. Porro hæc Capitis Mystici dignitas ita Christo Domino propria est, vt nulli creaturæ eo modo, quo illi, conuenire queat. *S. Thomas in 3. part. quæst. 8.*

XXII. Eadem Christi anima habuit Intellectum proprium creatum (per Increatam enim DEI scientiam nihil formaliter intelligere potuit) qui minoris quidem perfectionis essentialis, quàm angelicus fuit, perfectior tamen quouis intellectu humano. Ab eo prodibant à primo statim instanti conceptionis actus connaturales proprii, iique ita veri, certi ac euidentés, vt omnem fidem, ignorantiam ac opinionem excluderint, & erroris, nec per absolutam DEI potentiam, obnoxij esse potuerint. Ad hos verò eliciendos triplici habitu scientifico erat instructus, Scientiæ nimirum Beatificæ, Supernaturalis per se infusæ & Naturalis acquisitæ. *S. Thom. in 3. part. q. 9.*

XXIII. Scientia Beatifica tam quo ad habitum seu Lumen Gloriæ, quàm quo ad actum ipsius Visionis eiusdem speciei est, cum illâ, quâ alij Beati fruuntur, perfectione verò tam intensiuâ, quàm extensiuâ longè eandem antecellens. Per eam enim vnico intuitu clarissimè & distinctissimè in Verbo formaliter, id est, tanquam in ideâ & specie expressâ, videt, non solum quæcunque formaliter sunt in DEO, sed omnes etiam res per omnem eternitatem existentes, item quæcunque in earundem potentiâ sunt, aliquando in actum reducenda, adeoq; vniuersum quidquid ipse DEVS Scientiâ Visionis; non autem quod Scientiâ Simplicis Intelligentiæ cognoscit. *S. Thom. q. 10.*

XXIV. Per scientiam Infusam Christus intuitiue ac quidditatiue cognoscit non solum omnes res naturales, neque arcanissimis cogitationibus & actibus liberis exceptis, sed etiam omnes res creatas siue in modo siue in substantiâ supernaturales, adeoque omnia quæcunq; è creatis in Verbo videt, neq; ipsâ Vnione Hypostaticâ, aut Visione Beatificâ eam subterfugientibus; ita tamen, vt DEVS, qui eorum terminus est, non nisi abstractiue cognoscatur. Sed nihilominus tamen ille ipse quoque euidenter, quamuis nō intuitiue, (per species scilicet reuelatorias accedente euidenti DEI testimonio) secundum omnes perfectiones tam Absolutas quàm Relatiuas, adeoq; vt Auctor Naturæ & Gloriæ, Trinus & Vnus perspicitur. *S. Th. q. 11.*

B

XXV. In

XXV. In scientiæ huius usu non indigebat Christus ope phantasiæ, cum in primo ortu, præter habitum à Lumine gloriæ distinctum, species proportionatas, supernaturales videlicet & infusas, minùs quidem vniuersales, quàm Angelorum, vniuersaliores tamen quibuslibet humanis, acceperit. Illa mox in actus prodians semper in aliquibus, neque per somnum, neque per alia corporis impedimenta distracta, perstitit. Verisimile tamen non est omnia obiecta sua vnicò actu & obtutu, quamuis id non implicasset, perspexisse. Ceterùm licet habitus iste ratione obiecti Quod, tam materialis quàm formalis vnicus sit, tamen ex parte modi cognoscendi non incommode in Discursuum seu potius, vt cum S. Thomas vocat, Collatiuum, & non Discursuum diuiditur, quorum hic Fidei, ille verò Theologiæ vicem teneat. *S. Thom. 1. 2. q. 1. a. 2. 3. 6.*

XXVI. Scientiâ Acquisitâ non minùs profecit Christus Dominus, quàm ætate, æper quam proinde à principio non omnia, sed augescente ætate paulatim omnia illa scinit, quæ per actionem intellectus Agentis & experientiam cognosci ab homine naturaliter valent; nuniopere adiutus tam per excellentissimam sui intellectus vim, quàm etiam per scientiam infusam. Porro nec ab hominibus, nec ab ipsis etiam angelis quidquam vnquam didicit.

a. Luc. 2. 5. & S. Thom. cum S. Ambrosio quæst. 12.

XXVII. Non tantum Intellectui & Voluntati Humanitatis Christi, sed etiam Potentiæ operatiuæ ad extra propter vniõnem ad Verbum virtus quædam supernaturalis, quæuis miracula patrândi, & effectus supernaturales producendi, collata fuit; eaque permanent, ad quoslibet morbos etiam per solum contactum curandos, sine quâque qualitate Sanctissimæ carni aut animæ superaddita (licet ea nullam inuoluat repugnantiam) sed cum Dei extraordinario concursu, semper parato ad effectus miraculosos non tantum moraliter, sed etiam physicè producendos, à quo eius naturalis potentia, vbicumq; opuserat, ad eiusmodi effectus per motionem quandam instrumentalibus causis præcaram varietate congruentem eleuata fuit. *S. Thom. 3. p. 9. q. 1.*

XXVIII. Virtus hæc ad omnes effectus Incarnationis fini conuenientes, etiam in loco, non tamen tempore, distantes se extendit: quorum fuit Humanitas Christi causa principalis moralis siue meritoria, physica autem principalis per nullam potentiam esse potuit: inter instrumentales tamen principalior fuit, quàm vlla alia instrumenta, vt pote Verbo, seu principali causæ, intime coniuncta. *S. Th. cit. quæst. 13.*

XXIX. Dotes quatuor, videlicet Impassibilitas, Claritas, Agilitas & Subtilitas à Deo per Doctorem Gentium a. corporibus Beatorum promissæ, non minùs antè, quàm post resurrectionem etiam corpori Christi in summâ perfectione erant debitæ, vt pote vel physicè, vt tres priores, vel saltem moraliter, vt quarta, ab animâ beatâ emanantes, Sed quia fini Incarnationis antè eam impedimento erant, primum post illam in actum fuerunt collata. *1. Cor. 15. 52. 44.*

XXX. Impassibilitas est qualitas quædam corpus immune conseruans, non solum ab omni alteratione corruptiua, sed etiam quauis sensatione & mutatione noxiâ ac molesta. Claritas est lux quædam corporea (per quam Sancti instar solis, teste ipsemet Christus, fulgebunt) corpus scilicet ita pellucidum reddens, vt tota interior constitutio oculis corporeis perspicere queat. Agilitas est virtus mouendi corpus celerissime ad quamlibet differentiam loci, non tantum motu progressiuo, sed etiam simplici. Subtilitas denique dat corporibus gloriosis potentiam existendi penetratiue in quibusvis corporibus, & eadem sine diuisione permeandi; quæ non tam ex qualitate aliquâ, sicut tres priores.

priores, quam ex operatione diuinæ virtutis externâ prouenire nostro videtur Aquina-

ti. 6. in 2. q. 1. c. 13. q. 43. b. S. Thom. in supplem. q. 83. a. 1.

XXXI. Nec minus quo ad naturalia corpus Christi erat vndequaque perfectum, vt. pote optimè temperatum, ac proportionatum, organis item perfectissimis instructum, nec non insigni quâdam (non muliebri tamen, sed quæ tanti viri grauitatem atque autoritatem deceret) pulchritudine præditum. hoc amantissimus ipse Saluator fuit, fami, frigori, & alijs defectibus tori naturæ corruptæ communibus obnoxium esse voluit, quo scilicet per omnia fratribus assimilaretur. & infirmitatibus nostris compati posset. b. non item defectibus particularibus, quales sunt lepra, cæcitas, & alij morbi, quos etiam naturali morte defuncturus nunquam admisisset. Itaque c. vt tres sunt hominum status, primus Innocentiæ, secundus Culpæ, tertius Gloriæ: Sic Christus Dominus de singulis aliquid assumpsit; nempe Comprehensionem de statu Gloriæ, Immutabilitatem à peccato de statu Innocentiæ, & de statu Culpæ necessitatem subiaccendi pœnalitatibus huius vite.

a. Heb. c. 2. v. 17. b. Heb. c. 4. v. 15. c. S. Thom. q. 1. a. 3. ad 2. & q. 14. a. 2.

XXXII. Anima potentij naturalibus, ijsque itidem perfectissimis, fuit prædita, quantum quælibet omnes proportionatos, & conuenientes adus exercebat; vnde nec actionibus illis vñdecim sensitiuis, quæ Passiones animi dicuntur, caruit. A defectibus vero sine Gratia, quales sunt fomes peccati & ipsum peccatum a. sine Scientiæ, quales error & ignorantia, vñiam antea b. quoque diximus, oppositis prorsus eximius fuit.

XXXIII. Etenim à fomite eum peccati conceptio sine maritali semine peracta immunitatem reddidit; Impeccabilitas vero illi propter coniunctionem ad Verbum ita erat debita, vt neque per absolutam dei potentiam præuaticari potuerit; Mediata ac remotè causata est à Verbi suauissimâ & infallibili directione & assistentiâ, immediate vero & proximè à Visione beatificâ. *S. Thom. q. 15. a. 1. ad 2. & art. 2.*

PARS TERTIA. DE HIS QUÆ FILIO DEI INCARNATO CONVENIUNT.

XXXIV. Triplicis generis prædicata Filio DEI Incarnato, quædam quidem secundum se, alia per respectum ad Patrem, alia per comparisonem ad nos conueniunt. Hinc primum duæ naturæ completæ, Diuina scilicet & Humana; in vna eiusdem Dij Verbi hypostasi realiter & substantialiter vnitæ non solum de hypostasi, sed etiam de se mutuo in concreto verè & propriè prædicantur, quæ prædicatio Communicatio Idiomatum seu Proprietatum dici consuevit; quæ aliud non est, quam mutua prædicatio vtriusque naturæ cum suis proprietatibus & operationibus de eadem personâ iuxta Logicorum regulam ipsâ experientiâ notam; quando forma plures ac diuersæ, & albedo & nigredo, & niuntur eidem subiecto, & g. ciconia &c. solent tam de subiecto, quam de se inuicem cum suis proprietatibus & operationibus prædicari, in concreto tamen non autem in abstracto.

S. Thom. in 3. p. quæst. 16. art. 1. a. 4. & 5.

XXXV. Natura itaque diuina plenè secundum Attributa sua omnia tam Absoluta, quam Notionalia Filij propria, in concreto de naturæ humanæ proprietatibus essentialibus absolutè & substantialiter, de accidentalibus vero coassumptis accidentaliter præ-

dicatur, sicut & vicissim humana prædicata, (præter ea quæ personam creatam includunt, ideoq; diuinæ aduersantur) de Naturâ & Hypostasi Diuinâ, Essentialia quidem substantialiter, Accidentaliter verò solum accidentaliter, vtrâq; denominatiuè, neutra essentialiter. *S. Thom. quest. 16.*

XXXVI. Abstracta quidem Diuinitatis de Christo in fano quodam sensu (scilicet identico, non formali) affirmari possent, secus quam abstracta Humanitatis; huiusmodi autem propositionibus communiter, sicut & alijs quantumvis secundum rigorem philosophorum etiam formaliter veris, subinde abstinendum est propter celebres quasdam cum hæreticis, eiusmodi propositionibus ad malum sensum abutentibus, controuersias.

a. v. g. *DEVM, Verbum, aut Christum esse creaturam, minorem Patre &c. S. Thom. q. 16. art. 8.*

XXXVII. Inde apparet illorum Lutheranorum, quos ob hæresin de Communicatione idiomatum appositè Vbiquistas, Vbiquetarios, Omnipresentarios tam alijs Lutherani & Calviniani quam Catholici appellant, nouitium dogma planè portentosum & prorsus execrandum esse; Blasphemant siquidem Humanitatem non tantum hypostasi esse coniunctam, sed ita in Diuinitatem quasi transfusam, vt attributa Diuina, Substantialia nimirum e. g. Infinitas, Eternitas, Immortalitas &c. mediatè, vel, quo ad actum primum; Energetica verò, siue Operatiua; cuiusmodi sunt: Omnipotentia, Omnipresentia &c. immediatè, sitæ quo ad actum secundum humanitati formaliter communicata sint.

XXXVIII. Secundum orthodoxam a. de Communicatione Idiomatum veritatem Christus simpliciter Vnus masculinè & Vnum neutraliter, non verò Alius, Aliud, Multa vel Plura &c. dicendus est, vtpote vnum habens esse completum Personale, non quidem simplex, sed compositum ex naturâ duplici, Humanâ & Diuinâ mediante diuini Verbi hypostasi, ita quidem, vt vtrilibet naturæ sua propria essentia & existentia, vna cum omnibus potentijs, proprietatibus & operationibus realiter distinctæ manserint.

a. quinta & sexta synod. general. CC. Chalced. Ephes. i. Lateran. sub. Innoc. 3. & alia *S. Thom. q. 17. & 18. art. 1.*

XXXIX. Igitur voluntas naturæ humanæ in Christo, contra Monothelitarum aliorumq; Hæreticorum deliria permansit integra, adeoq; & libera, non solum ab omni coactione, sed etiam necessitate. Christus enim simul Viator & Comprehensor, & quæ viator, à nullâ internâ vel externâ causâ libertate suâ priuatus fuit. *S. Thom. q. 15. art. 10. & 19. a. 3.*

XL. Hac Christi voluntas omnis etiam Timoris & Tristitiæ actus veros & propriè dictos elicit; partim efficaces, tam secundum rationem inferiorem, quam superiorem. Efficaces per nullam potentiam circa obiecta materialia, diffformes esse potuerunt diuinæ voluntati absolutæ; circa formalia intercessit diuersitas, sed nulla difformitas aut contrarietas. quare necessariò quoque semper fuerunt impleri. Inefficaces verò licet quoadq; effectum sint destituti, non tamen propriè, vel diuinæ voluntati absolutæ diffformes, vel propriè efficaci contrarij fuerunt. *S. Th. q. 15. art. 6. & 7. & 17. art. 5. & 8.*

LXI. Proinde Christum instar aliorum viatorum per humanam suam voluntatem verè & perfectissimè de condigno tam sibi, quam alijs meritum fuisse, fides Catholica tenet: hoc in primo statim conceptionis instanti inchoatum, per omnes actus tam naturales, (etiam amoris erga DEVM abstractè cognitum) sine vllâ interruptione physicè continuatum est, vsque ad vltimum instans vitæ, post quod tandem omninò consummatum & finitum fuit. *S. Thom. quest. art. 3. & 4. & quest. 34.*

XLII. Meritus autem sibi ipsi est primò Gloriam corporis, ad quam Impassibilitas ani-

animæ, Notes quatuor corporis gloriosi, Resurrectio, & Ascensio &c. spectant: deinde Nominis sui exaltationem *b.* sub quâ, omnia, quæ ipsius gloriam concernunt, comprehenduntur; deniq; Dominium in vniuersum orbem *c.* quo etiam Iudicaria potestas refertur. Gratiam quidem, virtutes & scientias infusas, atque beatitudinem animæ non meruit; quamvis eadem etiam mereri per actus siue tempore siue naturâ collationem prædictorum donorum præcedentes, siue subsequentes, nullo modo implicet.

a. Luc. c. 24. v. 26. Philip. c. 2. v. 9. Heb. c. 2. v. 9. b. iocan. c. 12. v. 29. & c. 17. v. 4. Philip. c. 2. v. 9. Apocal. c. 5. v. 12. Psal. 2. v. 8. c. Rom. c. 14. v. 8. Rom. c. 14. v. 9. Matth. c. 28. v. 18.

XLIII. Solis hominibus ea, quæ post Adami lapsum ad salutem proficua mediâ tam sufficientia (quæ omnibus dantur *a.*) quam efficacia Christus meritus est; qualia in specie sunt Gloria cælestis, Gratia Sanctificans, tam prima, quam secunda siue eiusdem augmentum; eaq; non solum extrinseca, quæ est gratuita sanctificandi voluntas diuina ac fauor, verum etiam animæ iustificati inherens: Remissio item peccatorum omnium, & pro isdem Satisfactio non tantum quo ad culpam, vt per atrocem calumniam Catholicis imponunt hæretici Nouatores *b.* Sed etiam quo ad pœnam, vt apertissimè Sacrosancta Tridentina Synodus *c.* & Catholici Scriptores *d.* ab eisdem calumniatoribus lecti citatiq; identidem vnanimi consensu testantur: deinde omnia gratiæ auxilia actualia, & dispositiones ad gratiam. Denique & ipsum Donum Perseuerantiæ, imò & ipsa applicatio eius meritorum.

a. I. Tim. c. 3. v. 4. & alijs locis apud Conradum Dietersch in Catecheticis institutionibus, cum verba ist. de penitent. fol. 219. sunt ista: Errant igitur Pontificij asserentes Christum quidem satisfecisse pro culpa, sed non pro pœnâ peccati, quæ expianda sit operibus nostris laboriosis & satisfactorijs &c. c. Sess. 6. c. 7. & Sess. 18. c. 8. d. S. Thom. in 3. p. q. 22. art. 3. Bellarminus lib. 1. de penitentia c. 2. Versic. Mendacium hoc tam est crassum. &c.

XLIV. Quanquam Christus Dominus de iure nullius hominis, nec etiam Sanctissimorum Parentum, præcepto, vel legi, imò nec Diuinæ comuni, Noui aut Veteris Testamenti subiectus fuit; lege tamen tum naturali ac æternâ, tum speciali præcepto in primo statim conceptionis instanti *a.* à Deo Patre, omnia ea, quæ ad salutem hominum recuperandam pertinebant, faciendi sibi directè imposito, tenebatur; quo expresse continebatur mandatum, prædicandi Euangelium & miracula patrandi *b.* quin & suammet vitam pro salute humani generis exponendi *c.*

a. Heb. c. 10. d. v. 5. b. Deut. c. 18. v. 18. Isa. c. 61. v. 1. & 2. Iocan. c. 12. v. 49. c. 14. v. 31. & c. 15. v. 10. c. Iocan. c. 10. v. 18. Luc. c. 24. v. 26.

XLV. Christus, in quantum homo triplici ratione dicitur, Naturalis Dei Filius. Vna & potissima est æterna Verbi Generatio à Patre & increata ad eundem Relatio: altera Incarnatio cum vnione hypostatica & relatione ad totam Trinitatem, à quâ, quippe opere externo, efficitur: Tertia est communicatio Idiomatum; porro cum Adoptio perinde ac Filiatio non conueniat naturæ, sed soli personæ, idèò Christus etiam in quantum homo dici nequit Filius Adoptiuus, nisi cum S. Hilario *a.* improprie sumatur, vt idem significet quod Humanitas vnita Verbo.

a. Lib. 2. de Trinit. S. Thom. 3. p. q. 23. d. 4. ad 1.

XLVI. Etsi Christus non rectè dicitur factus Dei Filius, verè tamen & propriè cum Apostolo *a.* dicitur: Is qui factus est ex semine David secundum carnem, seu, quod idem est, Christus in quantum homo, est prædestinatus esse Filius Dei naturalis, non adoptiuus; cuius diuina prædestinatio nostræ infinito quidem intervallo præcellit, vt tamen sit eius causa Meritoria, idèòq; Efficiens, Finis minùs principalis, & Exemplar tam quo

ad terminum siue prædestinationis effectum, quæ in Christo est, Filium DEI Naturalem esse, in nobis Adoptivum; quàm quo ad modum: quomodo, enim humana natura in Christo nullis meritis præcedentibus est vnita DEI Filio, eodem nos sine vllis nostris meritis per gratiam Adoptionis seu Iustificationis vnimur DEO, iuxta illud S. Augustini: *b. Fit eâ gratiâ ab initio fidei suæ homo quicumq; Christianus, quâ gratiâ homo ille ab initio suo factus est Christus.*

a. *Rom. c. 1. v. 3. & 4. b. Lib. de prædest. Sanctorum. cap. 15. apud Bedam supra citatum caput. 8. Thom. quæst. 24.*

XLVII. Christus est Sacerdos verè ac propriè dictus *a.* atque idem summus Pontifex *b.* non tamen secundum Aaronis, sed Melchisedechi *d.* ordinem, simulq; etiam vera oblatio, & hostia DEO in odorem suauitatis *e.* in æternum *f.* non quo ad cruenti, nec incruenti sacrificij actionem: illius enim pridem in crucis altari vnica oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos *g.* istius verò inchoata in vltimâ cenâ sub Iudicij extremi diem desinet *h.* sed quoad effectus, quibus electi in cælo per omnem sempiternitatem perfruuntur.

a. *b. c. d. f. Psal. 109. interprete D. Paulo ad Hebr. c. 4. v. 7. & 8. e. Ephes. c. 5. v. 2. g. Heb. c. 10. v. 14. h. 1. Corinth. c. 11. v. 16.*

XLVIII. Sacerdotalis autem huius, summiq; Pontificatus præcipuum munus est Mediatorem esse DEVM inter & homines *a.* non quia est Verbum, inquit S. Augustinus *b.* sed secundum quod homo: nam humana natura abstractè sumpta est principium, Quò immediâtè suppositum diuinum ita operatur, vt eiusdem actionibus infinitam conferat dignitatem, quibus proinde DEO reconciliati ac diuinæ facti consortes naturæ sumus *c.* sublato de medio, deletiq; & cruci affixo, quod aduersus nos erat, chirographo decreti nobis contrarij *d.* Quamobrem Lutherani Vbiq;istæ *e.* non minus imperitè, quàm blasphemè contendunt, Christum secundum vtramq; naturam, Diuinam atq; Humanam esse Mediatorem: & quidem tam vnicum, vt omnes alios creatos ministeriales excludant. Cum tamen Apostolus *f.* iuxta orthodoxam intelligentiam VNUM appelletur propter principalitatem tantæ excellentiæ & potestatis, quantæ nulla creatura est capax; tum etiam quoad substantiam suâ, quâ inter DEVM & hominem ita est medius, vt eum DEO identicâ, cum homine puro formali siue essentiali vnitate coniunctus & penitus vnus existat.

a. *1. Timoth. c. 2. v. 5. b. Lib. 9. ciuit. cap. 15. Thom. 3. p. 9. 26. art. 2. c. 2. Petri c. 1. v. 4. d. Coloss. c. 2. v. 14. e. Apud Conradum Dieterich in Cateches. institut. tit. de communicatione idiomatum. f. 1. Timoth. c. 2. v. 5.*

XLIX. Sacerdotis ac Mediatoris officia partim DEVM spectant, partim homines, Vnum ad DEVM est orare pro populo *a.* Orauit autem Christus secundum humanam, non diuinam naturam, non solum in diebus carnis suæ, cum clamore valido & lacrymis *b.* sed etiamnum in cælesti gloria interpellat pro nobis. tum representando Patri humanitatem suam in cruce pro nobis oblatam, tum expressè petendo nobis salutaria, non tam men voce, nec abiectio & vili corporis gestu, quali in terris est vsus. Exauditur autem pro suâ reuerentiâ quotiescunque absolutâ & efficaci, non autem conditionatâ & inefficaci voluntate aliquid postulat. Alterum officium est offerre Sacrificium *d.* quod ipse in suâ personâ fecit semel. Sed per ministros sacerdotes offert, donec ad iudicium *f.* veniat.

a. *Numer. c. 8. v. 9. Heb. c. 8. v. 3. b. Heb. c. 5. v. 7. c. Ibidem c. 7. v. 25. d. Hebr. c. 5. v. 11. e. Hebr. 7. v. 23. & c. 9. v. 28. f. 1. Corinth. c. 11. v. 26.*

L. Erga homines autem sacerdotis ista officia exercuit. I. Condoluit & compatius

est infirmitatibus nostris *a.* 2. Dilexit ac constituit Ecclesiam sanguine suo acquiritam *b.* eamq; gubernavit per se, dum mortalis viueret, ac post discessum ex hac vitâ per alios, quos eidem regenda præfecit, quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores *c.* Inter quos eminet perpetuus eius Vicarius summâ cum potestate eidem præfectus, quam supremam Præfecturam Pontificiam accepit, gessitq; primus Simon Petrus *d.* cui succedunt vsque ad consummationem Sanctorum illi, qui legitime ab Ecclesiâ eliguntur. 3. Supra triginta tres annos exemplis omnium virtutum, & vltra tres annos quotidianâ penè prædicatione ac doctrinâ eandem instruxit ac erudiuit. 4. Explicauit, stabilivitq; *e.* legem naturalem seu moralem. 5. Adiecit legem fidei SS. Trinitatis, & suæ Incarnationis *f.* 6. Addidit mandata *g.* de suscipiendis Sacramentis, quorum septem instituit, quædam singulis singularim, quædam omnibus generatim, siue toti Ecclesiæ fidelium, partim simpliciter in re, aut in voto necessaria, partim valde proficua.

a. Hebr. 2. v. 15. & c. 5. v. 2. b. Actor. c. 26. v. 28. c. Ephes. c. 4. v. 11. d. Matth. c. 16. v. 18. Ioan. c. 21. v. 16. & 17. e. Matth. 5.6. & 7. & alibi. f. g. Ioan. c. 3. v. 15. Marc. c. 16. v. 16. Matth. vlt. v. 19. & alibi.

LI. Dominium triplex Christo competit, idq; vniuersale in omnes res creatas. Vnum ratione Supremi Pontificatus in Ecclesiâ, quam sanguine suo acquisitam supra tam firmam petram ædificauit, vt inferorum portæ nec quicquam aduersus eam *a.* præualeant etenim vt supernaturali spiritualiq; eius finis, qui est æterna hominum salus, naturales omnes subordinantur, ita eiusdem supremæ ac Pontificiæ potestati spirituali, indirectè tamen, terrena quocq; omnia. Alterum Directum ac planè Diuinum ratione diuinæ naturæ longè maius, quam habeat figulus in suum lutum luteaq; vasa. Tertium, quod in hunc mundum hominum voluntate ad publicam pacem & tranquillitatem inter eos seruandum introductum, merè terrenum est, Christus pauper & egenus pro nobis factus, nullo titulo habuit *b.* quin aliquando à populo oblatum *c.* respuit. Quartum tamen istud sublimius, & altero inferius à Patre datum accepit, sed vix semel *e.* atque iterum *f.* usurpauit. Neutrum illorum suo Vicario, sed primum duntaxat communicauit.

a. Matth. c. 16. v. 18. b. Ioan. c. 18. v. 30. c. Ioan. c. 6. v. 15. d. Matth. vlt. v. 18. Apoc. c. 1. v. 5. & 7. Cap. 15. v. 16. e. Matth. c. 8. v. 23. f. Matth. c. 21. v. 19.

LII. Christum Emmanuelem, quâ hominem & DEVM, vnico cultu diuino Latriæ esse adorandum contra Nestorium in plurimis Concilijs Oecumenicis decretum est: idq; intelligas non tantum per communicationem idiomatum, sed etiam quo ad humanitatem ipsam (specificatiuè acceptam) in quam scilicet honor diuinus concomitantes & secundariò ppter substantialem & inseparabilem nexum ad Excellentiam Increatam redundat. *8. Thom. in 3. parte quest. 2.*

LIII. Nihil tamen inde obstat, quin Christus secundum excellentias solum creatas consideratus, cultu Latriæ inferiori, Dullâ tamen siue adoratione alijs Sanctis debitâ sublimiori, quam Hyperdulam nominamus, adorari possit; eoq; duplici, vno in Vniouis hypostatice excellentiâ creatâ, altero in gratiæ, scientiæ, & aliorum donorum eminentiâ fundato. Et hoc genus adorationis bifariam fieri potest, vel ipsam humanitatem ab hypostasi per intellectum præscindendo; vel concretè quidem & subsistentem considerando, sed actum adorationis per se primò ad ipsum suppositum, vt hominem dirigendo, & ad Verbum non nisi concomitanter & secundariò. *8. Thom. est. quest. 25.*

LIV. De Sanctissimâ Christi Cruce ac cæteris Passionis Dominicæ instrumentis, de guttis sanguinis, præputio, alijsq; particulis semel Verbo unitis & postea ab illo solutis, item hostijs consecratis & in carnem aliæque substantias miraculose conuersis, &c. *co-
dem*

dem modo proportionaliter, quo de humanitate videretur esse sentiendum, nimirum ob coniunctionem suam, quam aliquando ad Verbum habuerunt, cultu patriæ coado. randa esse. *S. Thom. quest. 25. art. 3. & 4.*

LV. Prædictorum etiam Imaginibus sua veneratio, sed longè inferior eâ, quæ prototypis exhibetur, deferenda est; quæ proinde non nisi reductivè ad eam virtutem, quæ prototypa colimus, renovatur. Quod si tamen in Imagine prototypon ipsum sic consideretur ac respiciatur, ut non tantum sit ratio formalis, sed ipsummet etiam obiectum. Quod veneramur aut adoramus, iure merito. Doctor Angelicus Christi Crucem, tum ob iam consideratam cum illo coniunctionem, tum etiam propter illius representationem, eodem, quo ipsum, Patriæ cultu adorandam docet: quo cum b. etiam alij Doctores universas Imagines pari cum suis prototypis veneratione (nempe Christi Domini Patriæ, DEIPARÆ Hyperduliæ, Sanctorum aliorum Duliæ) dignas censent.

a. Quest. 25. art. 4. b. Ibidem artic. 3.

REVERENDO, ORNATISSIMO,

ET

DOCTISSIMO DOMINO

DEFENDENTI.



Vdant agricolæ, vertunt cum vomere terram,
Sed succedentis tempore messis ouant;
Uulnera miles habet cordi, belliq; labores.
Omnia sed pensant præda, triumphus, honor.
Sudores multos numeras, dilecte SODALIS.

Anni nec pauci præteriere tibi,
Frugiferæ ex quo capisti dare semina menti,
Ingeniumq; bonis artibus excolere.
DOCTRINA & VIRTUS te sub sua signa recepit,
Fecistiq; boni militis officium.
Nunc LAVRIME te fecundo de semine BACCAS;
Succedet Baccis laurea digna suis.
Ista tuæ sunt militiæ stipendia prima;
Sed votis merces vltima maior erit.

Amor ergo accendit

M. Ludouicus Theodoricus Bildstein,
Sodalis, Condiscipulus & Contubernalis.

Ad maiorem DEI Incarnati eiusdemq; Matris
Virginis honorem & gloriam.